

DISSERTATIO METAPHYSICA

de
ACTU,

Quam

Jehovâ clementer annuente,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi atq; Excellentissimi

DN.

JOHANNIS CHRISTOPHORI

Hundeshagen,

Log. & Metaph. Profess. Publ. Ordin.

Publico Philosophantium Examini

submittit

JACOBUS ZADERUS,

Cizâ - Misnicus.

RESPONDENS

JENÆ,

Typis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI,

ANNO M. DC. LXIX.

a. LV. 50.

II. diss. A
, 50



I. N. D.

"Aveu περιποίησ

§. I.

Ractationem de Actu suscep*turis*
plerumque in more positum esse solet,
ut propter ambiguam nominis *Actus*
latitudinem, quæ impedit, quo minus
unus communis abstrahi possit
conceptus, præmittant distinctionem
eius in absolutum & respectivum. Ab-
solutum vocant substantiam simplicem completam v.g.
Deum & Angelos, & ab eo removent cùm accidentia
omnia, tūm substantiam incompletam, & completam
materiale. Respectivum vero appellant, secundum
ductum Aristotelis, id, qvō res non est ita, qvemadmo-
dui dicimus potentia. Actum absolutum vocant a-
ctum per qvādam analogiam, quæ cum respectivo inter-
cedit. Actus respectivus enim plerumqve perfectior est
suā potentia, qvam compleat & perficit; Actus absolutus
vero etiam perfectione sua actum respectivum superat.
Cum enim actus absolutus sit Spiritus completus; reli-
qua verò omnia aut sint spiritualia incompleta, aut pla-
ne materialia, liquidum est, spiritualitatem completam
insignem conciliare perfectionem ei, quod dicitur actus
absolutus, quam reliqua entia plane non habent.

A 2

I. De

I. De Actu ut sic.

§. 2.

Pro cuius opinionis meliori intelligentia primo venit disquvirendum: annon Actus ut sic, & in sua generalitate spectatus, aliquo conceptu communi, qui ab actu absoluto & respectivo, quomodo vocantur, præscindat, comprehendendi possit: Certum sane manet, veram & genuinam Actus definitionem, genere univocō & differentiā specificā constantem, non esse sperandam; æque enim hīc atq; in aliis transcendentibus illud Philosophi obtinere debet: Non oportet cujusq; rei definitionem quaerere. Sed hoc demum queritur: Annon conceptus aliquis quocunq; modō communis de Actu ut sic abstrahi possit, qui actibus reliquis omnibus quomodo cunq; competat?

§. 3.

Cui questioni ut satisfiat notandum, Aristotelem Actum vocare ενέργειαν & εντελέχειαν. Enεργεια quanquam alias pro operatione & actione usurpari consueverit, Aristoteles tamen ipsam etiam quietem in aere appellat ενέργειαν. De entelechia plura notatu digna observat Petrus Fonseca comment. in 1. Metaph. c. 7. q. 3. sect. 8 p. m. 372. Statuit autem non improbabiliter, eam nihil aliud significare, quam perfecti habiam sive perfectionis habentiam. Quicquid igitur perfectionem dicit, illud habet actum, & ejus entelechia est ipse actus. Ex quo sequi videtur, vocem Actus in generalissima sua acceptione tam late patere quam late patet ipsum Ens. Etenim prima omnium & maxima videtur esse perfectio esse Ens, quandoquidem per hanc perfectionem extra nullitatis statum id, quod dicitur Ens collocatur. Deinde

esse

esse actu, quod est concretum § Actus, adaequatè exhaui-
rit totam entis latitudinem estque cum ente reciprocabile.
Reciprocale cum ente illud, uti notum est, dicitur,
quod ipsum de ente, & contrà de ipso ens universaliter
est verificabile. Reste enim dico. Quicquid est Ens,
illud est actu, & quicquid est actu, illud est Ens. Suppo-
no autem hoc loco, illud tantum absolute & simpliciter
dicendum esse Ens, quod actu est, id vero quod potentia
est, Ens absolute non vocari, alias vetum non esset & esse
actu cum ente recurrere, cum ens esset colatius, uti ma-
nifestum est.

§. 4.

Ceterum utriuscumque esse actu, opponitur utrum esse poten-
tiā, ut concretum concreto, ita eorum abstracta, videli-
cer Actus, & essentia in potentia, sibi invicem opponun-
tur, ita quidem, ut altero dato, alterum statim tollatur.
Quicquid enim habet actum, sive rationem illam, per
quam actu est, illud non potest habere essentiam in po-
tentia, sive illam rationem, per quam sit in potentia, ali-
as idem simul esset & non esset; esset, quia haberet actum,
non esset, quia haberet formalem rationem per quam
esset in potentia, quam libet essentiam in potentia voca-
re. Potentia enim in casu recto, & Actus non ita sibi
contradistinguuntur, ut semper unius positio sit alterius
negatio, sed interdum se invicem compatiuntur. Sic
v. gr. potentia ridendi in recto, non tollitur per actum.
Interdum vero plane sunt incompossibilia, v. gr. poen-
tia objectiva absolute est incompossibilis cum actu, ipsi
opposito, quem alii entitativum, alii objectivum vocare
solent. Unde patet, quod ex mente nonnullorum poten-
tia in recto ut sic spectata non sit referenda ad classem
transendentium, sed potius ad supertransendentium

A 3

non

non tamen in summo gradu sic dictorum, stante scilicet supposita hypothesi, quod tantum Ens actu sit absolute verum Ens. Transcendentia vocantur illa, quæ per omnia Entium genera vagantur, & de iis verificari possunt. Supertranscendentia autem vocantur hoc sensu illa, quæ tam de ente quam de non ente prædicari possunt, & ad utrumque se indifferenter habent. Inter hæc numeratur potentia. Hæc enim in concreto tam de ente, v. g. quando dico: Ens est potens, quam de non ente, v. g. Mundus ante sui productionē erat in potentia, prædicari potest. Dixi vero, eam nō esse ad summā gradū super transcendentium referendam, quia scilicet, quæ in illo constituuntur, possunt indifferenter prædicari de ente, & non ente, eoque vel mere possibili, vel plane impossibili; v. g. *Id* imaginabile, est prædicatum tale supertranscendens, & prædicari potest de ente, de ente in potentia, & de ente rationis, sive quod fieri vel esse implicat.

§. 5.

Quæ si ita se habent, uti omnino videntur, non video, quî negari possit descriptio aliqualis actus ut sic. Etenim ipse Philosophus eo videtur collineasse, quando 9. Metaph. *Id* actu esse ita circumloquitur, quod sit rem esse non eodem modo, quo erat in potentia. Ex quibus verbis actus ipse erit, ratio quædam, quares non est ita, quemadmodum dicimus potentia. Quæ quidem declaratio, si ita explicetur, ut removeantur imperfectiones, & conditiones materiales, videtur esse universalis & cui libet inferiorum actuum competens. Hoc ipsum ut fiat, verba illa: qua res non est ita, non debent præcise importare aliquam mutationem in actu ipso, sed debent præscindere, & ita intelligi: estratio, qua res non est ita,

sive

sive mutetur sive non, quemadmodum dicimus potentiam, sive in ea fuerit, sive esse potuerit, sive plane esse non potuerit. Sic ipse Deus, qui est actus, eo ipso quod est actus non est ita, quemadmodum dicimus potentiam nuncquam enim in eâ fuit, aut esse potuit, ergo, nec potest esse ita, quemadmodum diceremus cum aliquid esse potentiam.

§. 6.

Dicit ergo Actus formaliter ipsam essentiam rei cum connotata negatione essentiæ in potentiam, & esse actu dicit in recto ipsum ens, & in obliquo connotat negationem essendi in potentiam. Ubi tamen observandum venit, negationem illam essentiæ in potentiam, non esse intelligendam (1.) privativè; ac si idem sit negatio essentiae in potentiam, quod carentia essentiae in potentiam, & absentia aptitudinis essendi in potentiam, qualem negationem essendi in potentiam creaturæ, quæ actu, sunt, dicunt. Essentiæ enim rerum omnes ita negationem essentiæ in potentiam dicunt, ut habeant tamen aptitudinem, quæ sit ratio, qua aptæ sint ut fuerint in potentiam. Neque (2.) negativè in quantum ⁷⁰ privativè condistingvit. Hoc modo enim solus Deus esset actus, cum solus ille talem negationem essendi in potentiam importet, ut plane excludat aptitudinem essendi in illâ. Sed (3.) præcisivè, quatenus privatim & negativam privatim & negativam distinctam negationem essentiæ in potentiam nec dicit, nec negat, sed ab utraque præscindit, neutram includit, de utraque vero est affirmabilis.

§. 7.

Res manifestior fiet exemplificando eam de Unitate. Unitas est abstractum de Uno, & formaliter dicit negationem divisionis, talem tamen quæ nec privativa, nec negativa.

gativa privativæ opposita, sed à privativa & negativâ præscindat. Pariter Actus est abstractum de $\lambda\omega$ esse actu, quod uti dicit negationem entis in potentia, ita Actus dicit negationem essentiaz in potentia, & quidem talem quæ nec privativa tantum, uti res creatæ omnes, nec negativa tantum, ut solus Deus, sed præcisiva est, quæ has negationes non quidem includit, interim tamen nec negat, sed de utraque est verificabilis.

§. 8.

Ex quibus patet ad actum in sua generalitate spectatum, referendum etiam esse actum, uti vocant, entitativum, sive ipsam rei existentiam; hæc enim est quoque illa ipsa ratio per quam aliquid est, & extra nullitatis statum consistit. Et huic inter omnes actus primus debetus locus. Hinc Fonseca in comment. ad Metaph. Arist. l.9 c.4. in explanatione textus lit. i. p. m. 622. si queratur, inquit, quid præcipue significet Actus, primus locus dari consuevit formis substantialibus, secundus qualitatibus iis, quæ sunt principia motuum, aliarumque operationum, tertius iis operationibus, quæ sine motu efficiuntur, postremus ipsi motui, quod hic aliquid potentiaz suo modo admistum habeat. **FOR TASSE TAMEN DARI DEBET PRIMUS LOCUS IPSIS RERUM EXISTENTIIS,** deinde ordine proposito formis substantialibus, ceterisque deinceps actibus, quod simpliciter & absolute ea dicamus esse actu, sive *ἐνεγένεται*, quæ habent actualem existentiam, ea vero potentia, sive *δύναμις*, quæ illam habere possunt, nec dum habent.

II. De

II.

De distinctione Actus in absolutum & respectivum.

§. 9

Præterea fluit ex hoc capite, quid sentiendum sit de illa distinctione recepta Actus in entitativum & formalēm. Etenim si actus entitativus quoque participat rationem illam actus ut sic, sequitur actum formalem eidem non esse condistinctum. Est igitur hæc distinctione saltim inadæquata, cum alterum ejus membrum habeat rationem includentis, alterum vero inclusi. Nam Actus formalis in respectu ad entitativum habet rationem angustioris ad latius, & inclusi ad includens, cum ab actu formali ad inferendum entitativum legitime concludatur, non vero ab entitativo ad formalem essendi reciprocetur consequentia. Manifestum etiam est hanc distinctionem actus in formalem & entitativum nec esse distinctionem rationis tantum, nec esse distinctionem realēm tantum, sed à rationis & reali distinctione præscindere. Eam non esse rationis tantūm, patet quia v. gr. partes Physicæ realiter distin&æ cum ad se invicem referuntur, habent altera rationem entitativi, altera vero formalis actus. Nec esie realēm tantūm, quia una eademque res diverso respectu habet rationem actus entitativi & formalis, v. gr. forma substantialis, in quantum est ens habet rationem actus entitativi, in quantum est forma informans, rationem habet actus formalis; at vero idem à se ipso non potest realiter differre.

§. 10.

Actus igitur ut sic, & in sua generalitate formaliter dicit negationem essentiæ in potentia. Variis autem mo-

B

dis

dis subdividi potest. Nos unum atque alterum affe-
mus. Et primo quidem distingui solet in Absolutum &
respectivum. Quam distinctionem quomodo multi ex-
plicant, vid. §. i. relatum. Joannes de Rada subtilis Do-
ctoris subtilis discipulus controvers. inter Thomam &
Scotum part. 2. cont. 12. art. 2. explanatione opinionis
Doctoris subtilis not. 2. p. m. 388. hanc distinctionem ita
explicat: Actus absolutus est, quando aliquid est actua-
le, et si nihil aliud actuere. Sic in hac significacione pot-
est dici actus, quicquid non est potentiale, sed actuale.
Hunc facit dupl. Alius, inquit, est actus absolutus
simpliciter, sive non actuans aliud simpliciter, & dicitur
de illo ente, quod ex vi suæ actualitatis solius includit
perfectionem formalem, quam alia entia composita ha-
bere solent per substantialem actum informantem. Ali-
us secundum quid non actuans aliud, & dicitur quod
eunque ens, quod habet aliquam actualitatem, quatenus
est extra nihil. In hac significacione materia dici potest
actus. Actus vero respectivus dicitur in ordine ad po-
tentiam, quam actuere. Sic forma dicitur actus materiae.
Hic subdistinguitur in Physicum sive formalem, & meta-
physicum. Eodem modo hanc actus absoluti & respe-
ctivi naturam explicat Franciscus Svarez. part. I. Met. d.
13. sect. 5. n. 7.

§. II.

Verum hæc Actus absoluti à Rada & Svarezio sup-
peditata explicatio aliorum incurrit censuram. Duo præ-
primis licuit observare, quæ ipsis objiciuntur, & cur eo-
rum explicatio non sit sufficiens. Alterum est, quod vi-
delicet etiam substantia composita, ut homo vel lapis, sit
aliquid actuale, & nihil aliud actuere, neque tamen recte
appelletur actus, sed potius dicatur aliquid compositum.

ex

G 11

ex potentia & actu. Et hoc quidem circa descriptionem
actus absoluti ut sic desiderant. Alterum est circa po-
sterius distinctionis membrum, quando actum absolu-
tum distinguebant in absolutum simpliciter, & secundum
quid. Hanc actus absoluti secundum quid descrip-
tionem rejiciunt ob duplē causam (α) quia si actus se-
cundum quid diceretur quodcumque ens, habens ali-
quam actualitatem, quatenus extra nihil est, etiam com-
posito substantiali, quatenus est extra nihil, conveniret
appellatio actus (absoluti) (β) quia Rada afferit, quic-
quid in hac significatione sit actus, dici posse actum enti-
tativum. At, inquiunt, actus entitativus est actus, non
absolute, sed respective sumptus, cum dicatur in ordine
ad potentiam objectivam, cique corraspondeat. Hinc
concludunt: Nostantum admittimus actum absolute
dictum, & non actuantem, quem ille appellat simpliciter
talem, qui est substantia simplex & completa, quales
sunt Deus & Angeli.

§. 12.

Si, quid sentiamus de hac re, dicendum, videtur haec
lis maximam partem in explicatione terminorum con-
sistere, & non nisi de nomine contendit. Si quis enim Radæ
& Svarezii sententiam tueri velit, dicere poterit com-
positam substantiam utique esse actum & in ipsorum sen-
tentia hoc non esse absurdum. Nec pugnare cum hac
doctrina, quod composita substantia constet ex potentia
& actu, cum diversus respectus hanc pugnam facilimè
tollat, & utrumque diverso respectu verum sit. Ad illud,
quod dicunt Actum entitativum non esse absolutum
sed respectivum, videri potest, certo sensu id esse verum,
certo id esse falsum. Actus entitativus enim dupliciter
spectari potest (1.) in ordine ad potentiam objectivam,

B 2

&

& sic semper & omnis actus entitativus est respectivus, neque id negat Rada aut Svarez. (2) in ordine ad reale aliud, quod actuere, & sic actus entitativus qua talis semper est absolutus, cum nullus actus entitativus qua talis aliud quid reale actuere. Contingit interdum, ut actus qui entitativus, interdum etiam aliud reale actuere, v. g. forma materiam, sed hoc non facit quatenus est entitativus, sed quatenus est formalis, alias omnis actus entitativus actueret, quod absurdum, cum a quatenus ad omne valeat consequentia.

§. 13.

Ut autem eo clarius intelligatur hoc de nomine bellum, & quo modo recepta illa distinctio actus in absolutum & respectivum rite procedat, varias actuum absolutorum lubet ante oculos ponere acceptiones. Et quidem Actus dicitur aliquid a sua, quam habet, actualitate, sive non essentiâ in potentia & in hoc actus ad unum omnes, cum qui dicuntur relativi, tum absoluti, hancenus convenient, cum quod non habet non essentiam in potentia actus esse nequeat. Quod vero alii sint absoluti, alii relativi, id aliunde, nempe ab ordine sive habitudine, quam dicunt vel negant ad aliquam potentiam provenit. Quæ habitudo potissimum videtur esse duplex. Alii tantum dicunt ordinem ad potentiam objectivam, & hi in duplice iterum sunt differentiâ. Primo enim est aliquis actus, qui ita respicit potentiam objectivam sive ita ejus negationem dicit, ut in ea neque fuerit, neque esse potuerit. Deinde dantur actus aliqui, qui ita respiciunt potentiam objectivam tantum, ut tamen in illa aut aliquando fuerint, aut certe esse potuerint.

§. 14.

Talis actus qui ita solam potentiam objectivam respicit,

612

spicit, ut in eâ esse ipsi repugnet, & qui præcise vi suæ a-
ctualitatis illam perfectionem formalem dicit, quam re-
liqua composita per substantialem actum informantem
habere solent, unicus est, nempe Deus T.O. M. & præter
hunc alius non est dabilis. Hic quia ad nullam aliam po-
tentiam realem, quam actus, dicat respectum, ideo
hoc modo actus absolutus potest vocari, quia tamen ad-
huc dicit relationem ad potentiam objectivam, cuius ne-
gationem importat, ideo hoc respectu actus Relativus
potest appellari. Et sic propter diversitatem considera-
tionis nunc absoluti, num respectivi nomine salutatur u-
nus idemque actus.

§. 15.

Illi vero actus, qui tantum potentiam objectivam
respiciunt, ita ut saltim in illa fuisse ipsis non repugnet,
in duplice vicissim conspicuntur differentiâ. Alii enim ita
dicunt negationem potentiae objectivæ, in qua esse po-
tuerunt, ut vi suæ actualitatis solius includant perfec-
tionem formalem, quam alia entia composita habere so-
lent per substantialem actum informantem. Alii vero
candem negationem potentiae objectivæ in qua esse po-
tuerit, dicunt, ut vi suæ actualitatis solius non includant
perfectionem formalem, quam alia entia composita ha-
bere solent per substantialem actum informantem. Illi
sunt Angeli, qui quoad id, quod vi suæ actualitatis soli-
us habent illam perfectionem formalem, non diversifi-
cantur ab actu præcedente, sed quoad id tantum, quod
potuerint esse in potentia objectiva; convenient cum a-
ctibus subsequentibus in eo, quod in potentia objectiva
esse potuerint, differunt autem per hoc quod ipsi habe-
ant prædictam perfectionem formalem vi solius actuali-
talis suæ, quam sequentes non habent. Hi vero sunt

B 3

com.

composita substantia, & materia prima, qui differunt dupli modo ab actu §. præcedente commemorato. Nam (a) differunt ab eo, quod ipsi in potentia objectiva esse potuerint, ille vero non potuerit. (β) quod ipsi visuæ actualitatis folius prædictam formalem perfectionem non habeant, ille vero habeat; & per hoc posterius membrum etiam ab Angelis distinguuntur, per prius cum ipsis conveniunt.

§. 16.

Et hi etiam actus diverso modo considerati nunc Actuum absolutorum, nunc vero respectivorum appellatione veniunt insigniendi. Nam in quantum dicant negationem ordinis & respectus ad potentiam aliquam realem sive, passivam actuandam, in tantum sunt Actus absoluti, quia ab hoc officio de se absolvuntur, cum partim sint entia completa, partim ens incompletum, quod non tam habet rationem formæ, quam potentia perfectibilis per formam. In quantum vero important habitudinem ad potentiam objectivam, quam etiam suo modo actuare dici possunt, in tantum veniunt nomine actuum respectivorum.

§. 17.

Et hæc hactenus de iis actibus, qui ad potentiam objectivam tantum relationem important, vi cuius tantum actus respectivi possunt vocari, & cum nullam importent relationem ad potentiam aliquam realem per ipsos perfectibilem sed ab hoc respectu absolvuntur, id propter actus absoluti possunt salutari. Et quidem circa eos differunt Autores supra citati, à Rada & Svarezio, quod ipsi tantum illos Actus, quorum alter §. 14. & alter, numero prior, §. 15. commemoratus, velint habendos esse pro absolutis, non vero etiam illos, qui §. 16. posteriori loco

loco sunt adduci, contra vero Rada & Svarez omnes simul censeant habendos pro absolutis, hoc tamen cum discrimine, ut illos, quos ipsi admittunt, vocandos putent actus absolutos simpliciter, hos vero, quos Rada & Svarez addant, actus absolutos secundum quid, cum non minus hi, quam illi absoluti sint ab ordine ad potentiam passivam à se actuandam, & tamen in ratione actus convenient, scilicet in actualitate. Pro diversitate igitur explicandi terminos modus loquendi erit attemprandus.

§. 18.

Quia vero dantur actus alii, qui non modo ad potentiam objectivam, sed simul etiam ad potentiam realem passivam relationem important, quam ut perfectibilem per modum principii perfectivi respiciunt, ideo & illi simpliciter respectivi jure optimo vocari possunt. Scilicet hi sunt actus respectivi communiter absolutis oppositi, quod ipsi duplē importent habitudinem ad potentias, unam quidem communem cum superioribus actibus, ad potentiam scilicet objectivam, alteram vero propriam & à reliquis non participabilem, ad potentiam videlicet passivam. Suntque in multiplice differentia. Alii enim respiciunt potentiam passivam actuandam ut subjectum sustentationis, v. gr. formæ substantiales ex potentia materiæ educibiles. Alii eam respiciunt ut subjectum inhalationis, exempli causa quantitas, juxta probabiliorem sententiam, materiam, intellectio intellectum. Alii referuntur ad eam ut subjectum adhæsionis, v. gr. creatio ad terminum productum creabilem. Alii important relationem ad eam ut ad subjectum informationis stricte dictum, & sustentationis subjecto oppositum, v. gr. anima rationalis ad corpus. Alii ad eam dicunt

Dicunt habitudinem ut ad subjectum denominationis,
v. g. visio ad patietem &c.

§. 19.

Ex quibus tandem liquidum est, actum certo modo
inabsolutum & respectivum esse distinguibilem. Dein-
de actus in §. 18. explicatos ita esse respectivos, ut nullo
modo absolutorum in censu haberi queant, idque ma-
xime ob relationem ad potentiam passivam sibi propri-
am. Tertio manifestum est, Actus communiter abso-
lutos vocatos, ita non vocandos propter potentiam ob-
jectivam, sed solum propter potentiam passivam, quod
ab omni ordine & habitudine ad illam plane sint absolu-
ti & immunes, & quod aliquo modo etiam propter or-
dinem ad potentiam objectivam, dici possint actus re-
spectivi. Nam si absolutum velit aliquis vocare illum,
qui neque ad passivam, neque ad objectivam aliquam
saltim habitudinem & relationem importet, ille sibi fin-
get actum plane chimæricum & nondabilem, esse enim
actum, & tamen hoc modo esse absolutum, est implica-
tio in terminis, quibus idem esse & non esse actum adseri-
tur. Atque adeo si de actu ut sic quis velit absolute lo-
qui, certe inficias vix iverit, omnem actum aliquo modo
esse respectivum, cum omnis actus ad potentiam ali-
quam, minimum objectivam, aliquam dicat relationem.
Id quod nec illi diffiteri poterunt, qui supra §. XI. Radæ
adversabantur, quando dixerunt, Actum entitativum est
actus respective sumptus, cum dicatur in ordine ad
potentiam objectivam. Hinc argumentamur. Actus
entitativus est actus respective sumptus, Actus abso-
lutus Deus & angeli, est actus entitativus. Ergo actus ab-
solutus Deus & angeli, est actus respectivus. Major ipso-
rum est. Minor tenet, quia actus absolutus est verum ens,
quod habet existentiam.

III. De

III.

De distinctione Actus in primum & secundum.

§. 20.

Frequens porrò Actus distinctio apud Autores occurrit in Actum primum & secundum. Hanc distinctionem tripliciter posse intelligi docet Armandus de Bello Visu tr. 2. c. 7.: (1.) ut per actum primum intelligatur solus Deus, cum sit omnium rerum primum ens, & per secundum omnis actus creatus. (2.) ut dicantur ratione successionis, quomodo actus, qui reliquos precedit, dicitur primus, hunc sequentes, secundus, tertius, quartus, & sic porro. (3.) in eo significatu, quo voluit Aristoteles in l. 2. de an. principio, qui est hujus loci. Conf. Armandus ut suprà, qui latius hæc deduxit.

§. 21.

Quidnam vero Actus primus & secundus in hac acceptione importent, non conveniunt inter se Autores. Albertus & Cajetanus, teste Fonseca in l. Met. c. 7. q. 3. scđt. 8. p. m. 372. & alii restringunt hanc distinctionem ad solam formam substantialem, quæ tunc dicatur ab Aristotele z. de an. c. 1. se habere ut scientia, quando à propriis quibusdam operationibus, non secus ac habitus scientiæ à propriis actibus, aliquando vacare potest, tunc vero se dicatur habere, ut ἡ Σεωγεῖν, quando perpetuo suis operationibus addicta est. Illam, quæ se habet ut scientia, vocant animam, quod hæc sola è formis substancialibus à propriis actibus aliquando vacare possit. Hanc, quæ se habet ut contemplari, vocant omnem formam substantialem, quæ non est anima, utpote quæ nunquam à propriis actibus cessare possit. Sed hæc videntur sine

C

fun-

fundamento duci. Nam (1.) apud Aristotelem ἐντελέχεια non denotat solam formam substantialis, sed quicquid perfectihabia nomine venire potest, adeoque etiam formæ accidentales perfectæ & imperfectæ ita vocantur. (2) quia nulla apparet ratio, quæ svadeat ita esse entelechiā restringendam, cùm etiam formæ accidentales aliæ scut scientia habeant, & aliæ ut Ἰό Θεωρεῖν. Sic v.gr. habitus & operatio, ab habitu profecta.

§. 22.

Alii sunt, quos etiam sequitur B. Scheiblerus I. Met. c. 14. tit. 4. art. 2. punct. 2. p. m. 308. qui dicunt, actum primum esse formam, ad quam consequitur, aut consequi potest operatio. Actum secundum verò dicunt ipsam operationem. Sed horum sententia quoad explicationem actus primi aliis displicet, quod putent dari etiam formas, ad quas nulla operatio consequi possit, adeoque hanc actus primi descriptionem descriptio suo angustiorem arbitrabuntur. Vid. inter alios Ampliss. Dn. Petrum Musæum Instit. Metaph. c. 9. §. 18. p. m. 37.

§. 23.

Averroës à B. Stahlio Instit. Metaph. c. 9. n. 3. p. II. refertur hanc distinctionem ita explicare, quod actus primus & secundus sint eadem forma, quæ dicatur Actus primus, quando non operatur, sive ab operatione quiete, eademque forma dicatur Actus secundus, quando operatur. Quæ si Averroës sententia fuerit, & ipse à naturâ actus secundi operationem, sive formam realiter distinctam à forma operationis principiativâ, simpliciter exclusum iverit, plane non est admittenda. Nam si v.g. Averroës id voluit, quod ipsa contemplatio, in quantum est actus ab intellectu elicitus, adeoque forma accidentalis,



dentalis, non sit actus secundus, sed ipse potius intellectus dicatur actus secundus in quantum hanc contemplationem elicit, dicatur vero idem intellectus actus primus, quando contemplationem non elicit, bene docet laudatus Autor, hoc è diametro pugnare cum verbis & mente Philosophi, qui ipsum speculari facit exemplum actus secundi.

§. 24.

Si quis vero rem ipsam, neglecta Averrois mente, putare velit, ei dubium oboriri possit hac occasione. Scilicet tria veniunt hic probè distinguenda & attendenda. (1.) ipsa illa potentia sive principium, in quantum adhuc est in potentia ad operationem producendam, sive in quantum non operatur. (2.) eadem illa potentia sive idem principium, quando jam actu elicere sive producit aliquam actionem (3.) illa actio, quæ ab eo principio est producta. Exemplificabimus rem de risu. (a) homo antequam rideat, potentia risus productiva adhuc est in potentia ad producendum actum ridendi (β) quando jam rideat actu, tunc illa potentia non manet amplius in potentia, sed in actu secundo risus productivo constituitur. (γ) ipse vero effectus à principio vel potentia ridendi in actu secundo constituta efficienter dependet. Hic jam supponi potest (a) ipsam potentiam ridendi quando adhuc est in potentia ad influendum risum, non esse actum secundum, sed primum. (b) ipsum actum ridendi ab eadem potentia in actu secundo constituta productum, esse actum secundum non vero primum. Sed (c) de ipsa potentia quatenus actu ipso influit actum ridendi quæri potest, an ad actum primum, an vero ad secundum referri possit & debeat?

C 2

§. 25.

§. 25.

Non desunt, qui ad actum primum referunt. Sed videri possit eam ad actum secundum esse referendam, non quidem ut excludat actum ipsum ridendi, sed cum eo sit compoſſibilis. Dicienim posset habere se potentiam risus elicitivam instar causæ efficientis. Hæc, uti communior habet sententia (alias non desunt qui & hoc ipsum certo modo negant) actu secundo constituitur causa per operationem tanquam causalitatem suam, cum antea esset causa non nisi in actu primo. Pari modo se res habere videtur cum potentia ridendi. Hæc enim, quæ antea erat in actu primo quando non producebat risum, postea per ipsam operationem constituitur potentia ridendi in actu secundo, tanquam per suam causalitatem. Sicut igitur alias causalitas solet vocari causa quâ, & ipsa causa per eam in actu secundo constituta, causa quæ, ita etiam videtur dici posse, potentiam v. gr. ridendi in actu secundo constitutam dici posse & debere. Actum secundum qui, ipsam vero operationem actum secundum quo, ipsam vero potentiam quando non influit, esse dicendam actum primum.

§. 26.

Hinc jam fueret illa Averrois descriptio hoc modo: Actus primus est forma, quatenus non operatur. Actus secundus forma, quatenus operatur. Modo notetur γ non operari esse præcisive intelligendum, sive sc. operari possit, sive non. Nam quando datur forma non operans esse actus primus, non dicitur num possit, vel non possit operari. Circa actum secundum vero notari debet, quod quando dicitur eum esse formam quatenus operatur, non excludendam esse ipsam operationem, cum hæc sit illa ratio & causalitas per quam operetur. Et huic

huius explicationi nil veniret metuendum ab illis, quibus impetebatur Averroës argumentis. Nam quod primum attinet, quando Aristoteles actus secundi exemplum posuit $\gamma\circ\theta\omega\zeta\sigma\iota\tau$ potest id optime notare formam in actu secundo per speculationem constitutam. Alterum quod attinet, dupliciter responderi posset (1.) quando Aristoteles animam definivit per actum primum, id esse intelligendum de aptitudine ad non operandum, & hanc aptitudinem ad non operandum, ipsi necessario & semper competere. Vel (2.) per actum primum ab Aristotele ibi non intelligendum actum primum hoc modo sumptum, sed actum primum ibi idem esse, quod actum primarium corporis Physici organici, qui primariò & præcipue intendatur, qualis est anima, uti actu primum hoc modo explicant Rodericus de Arriaga, & Franciscus de Oviedo. ille d.l. A. seft i. n. 2. p. m. 424. Hic vero controv. i. A. punct, i. n. 2. p. m. 4. Sed haec dubitatio-
nis gratiâ apposui, quæ tamen accuratioribus dijudicanda relinquo. Si quis dicere velit etiam potentiam in actu constitutam, esse actu primum, per nos licet id adse-
tere.

§. 27.

Alii sunt, qui rationem actus primi in eo constituunt, quod scilicet, sit forma, quæ in aliquo non ut operatio inest. Actus vero secundi descriptionem retinent, quod sit forma, quæ inest ut operatio. In ratione actus primi $\gamma\circ\theta\omega\zeta\sigma\iota\tau$ non ut operatio inest, non ita explicant, quod illa forma, quæ dicitur actus primus, neque importet operationem, neque negationem operationis, sed ab utroque esse præcisam & cum utroque stare, hoc est sive operetur sive non. Porro vocem operationis exten-
dunt etiam ad passiones, quatenus pro actione & passio-

C. 3.

ne

ne simul supponit, cum actio & passio quoad rem identificantur. Quando dicunt, quæ inest, ibi non intelligunt solam inherentiam accidentibus propriam, sed quemvis inessendi modum ab ipsis etiam substantialibus formis participabilem. Hi sunt qui illam §. 22. ex Scheiblero allatam descriptionem actus primi rejiciunt tanquam nimis angustam, quod potent, dari quosdam actus primos qui insit alicui sine ulla possibili etiam principiacione operationum. v. g. Mercurium in lapide, similitatem in naso, quietem in aëre.

§. 28.

Horum opinio, si illa superius §. 26. allata descriptione locum haberet, non esset admittenda, neque illi forsan defendenterent. Nam per hanc descriptionem excluditur à naturâ actus secundi ipsa potentia operativa in actu secundo constituta, & tantum admititur ipsa operatio, quam superius actum secundum quoque dici posse in aliorum sententia, contendimus. Sed si ponamus, superius datam opinionem non posse obtinere, quæri porro posset circa hanc sententiam: an satis accuratè actus primi Genus, vel conceptus communis, ponatur Forma & num satis universalis sit apposita descriptio, vel an suo descripto sit angustior?

§. 29.

Illam totam descripti latitudinem non exhaustire, videtur ex inde posse svaderi, quod dentur plurimi actus primi, quibus non competit, quod sint formæ, quæ alteri insint non ut operatio. Sic v. g. potentia intelligendi activa in angelo, non est forma quæ alteri inest non ut operatio, & tamen cur actus primus vocetur, non video, quid impedit. Dicendum igitur videtur, illam Actus primi descriptionem extendi tantum ad Actus, ut vocant,

cant, respectivos, & dc illis eam verificabilem esse, non itidem ad actus absolutos. Quod si igitur universalior debeat substitui actus primi descriptio, quæ omnibus in universum actibus primis, absolutis & respectivis, conveniat, videtur hoc vel simili modo posse effterri: Actus primus est actus, quatenus se habet non ut operatio, præscindendo scilicet, num insit alteri ut forma vel non sit. Actus vero secundus dici potest, Actus in quantum se habet, ut operatio.

§. 30.

Atque ita videntur ad unum omnes actus rationem actus primi & secundi participare. Sic etiam actus en-titativi, qui non sunt formales, sive ipsæ existentiæ rerum quæ non sunt formæ ad hanc distinctionem reduci pos-sunt. Quod ipsum in superius data descriptione fieri non poterat, quia conceptus ille communis, forma sci-liset, erat angustior ipso descripto, quod fieri non potest jam vero vox actus habet locum conceptus genericus, quia omnes actus in hoc conveniunt nullo excepto, quod vero alias actuū sit primus dicendus, alias vero secundus, id omne habent ab habitudine ad non opera-tionem & operationem, quam important, quæ proinde habitudo conceptus specifici sive proprii & distinctivira-tionem optimo jure habere videtur. Et si illa §. 26. al-lata ex Averrois mente descriptio procederet, ut uni-versalis fieret, eodem modo esset procedendum, ut loco conceptus genericus, 7o actus collocaretur. Quæ omnia accurationum judico submitte,

§. 31.

IV.

De distinct. Actus in purum & impurum

§. 31.

Celebris etiam est distinctio Actus in Purum & impurum, circa quam brevissimis nostra etiam occupabitur opera. Primitus hanc distinctionem fuisse inventam ad discernendas substantias immateriales completas, Deum scilicet & angelos, non improbabiliter censetur. Cum enim reliqua actuum genera maximis imperfecti-
nibus subiacere esset manifestum, & vel propter materia-
litatem suam, vel propter essentialē ad actuandam ma-
teriam habitudinem, vel propter utramque rationē
facili negotio distingui possent à Deo & angelis, haut o-
pus videri poterat, ut per peculiare distinctionis genus
discernerentur à Deo & angelis. Hi vero cum per mani-
festum tale discrimen non possent distingui, aliā opus fu-
it distinctione per quam & hi actus, qui vocantur absolu-
ti, à se invicem distingui intelligerentur. Si enim Deum
& angelos comparare quis voluerit cum reliquis actibus
omnibus, qualescunque sint, reliqui omnes videbuntur
ipsi impuri, ob rationes allatas, solo Deo & angelis ad
purorum classem relatīs.

§. 32.

Ad distinguendos igitur à se invicem Deum & an-
gelos distinctum fuit inter actum purum & impurum, &
actus purus quidem dictus fuit solus Deus, quia hic solus
ita est aliquid actuale, ut plane nihil imperfectionis ad-
mixtum habeat, aut saltim habere possit. Actus vero
impuri nomine venerunt reliqui spiritus completi, qui,
licet perfectione insigni reliquos actus creatos omnes
supe-

618

superarent, cum sint completa entia immaterialia, & il-
lorum respectu comparative etiam puri actus possent
vocari, propter aliquas tamen imperfectiones quibus
subsunt, uti est potentia objectiva & passiva, actus puri
absolute & κατ' εξοχήν loquendo non possunt nominari,
sed actus impuri sunt appellandi. Quod si quis latius
hanc distinctionem extendere conetur, actus puri ratio
quidem manebit eadem, & solus Deus actus purus erit
dicendus, sed ad actus non puri classem erunt referendi
reliqui actus omnes, spirituales, completi & incompleti,
& materiales, adeoque omne id quod rationem actus
puri sustinere non poterit.

§. 33

Actum purum alias vocari solitum perhibent A.
ctum separatum, actum actuantem, ens etiam actuale, &
actum per se subsistentem. Primam quod attinet app-
ellationem, videtur ea latior esse, quam ut sit cum actu
puro convertibilis, quandoquidem compossibilitatem
cum actibus non puris non excludat. Separatum enim
id vocare solemus cum Philosopho, quod materiam
Physicam non habet, quod si sic, patet, actum purum &
separatum non æquivalere, sed hunc illo latiore tam
de non puris, v. g. angelis & anima separata, quam de
puro, Deo scilicet posse verificari. Alteram quod cōcer-
nit appellationem, qua dicitur *Actus actuans*, nisi pecu-
liaris aliqua denominationis ratio subsit, vix ea proce-
det, cum omnis actus dici possit actuans, adeoque quæ-
libet forma, quæ ad subjectum suum χέσιν aliquam dicit,
erit actus actuans vocitanda, & sic actus actuans multo
latius patebit, quam actus purus, sicut nemini obscurum
esse potest. Quartam, qua dicitur *Actus per se subsistens*
sano sensu sustineri posse putamus, si scil. per actum per

D

se

se subsistē intelligatur actus independenter subsistens,
aliās actus per se subsistens etiam de actu non puro v. gr.
angelis, recte prædicabitur, si scil. per se subsistere, nihil
aliud sit, quam ad complendum aliud non esse ordinabi-
le. Tertia, qua vocatur ens pure actuale convenien-
tissima videtur, cum plane cum ipsa denominatione a-
actus puri coincidere videatur.

§. 34.

Et primo quidem in denominatione & ratione actus
plane convenit cum reliquis non puris, quod non secus
ac illi dicat actualitatem aliquam sive negationem es-
sentiæ in potentia. Per vocem purus vero ad actus puri
speciem determinatur & à non puris primò distinguitur.
Dicit autem Iō purum formaliter non negationem po-
tentia cujuslibet, aut adæquate negationem potentia
passivæ, nam cum potentia activa utpote perfectione
simpliciter simplicide se, optime stare potest, & præter
negationem potentia passivæ, eriam negat potentiam
objectivam, & alias impuritates, sed uno verbo dicit ne-
gationem omnimodæ imperfectionis, quæ cum positio-
ne omnis perfectionis indissolubili nexu cohæret. Con-
tra Iō impurum vocari potest hoc respectu omne id,
quod cum minima etiam imperfectione est conjunctum,
& quo plures admittit imperfectiones, eo magis à ratio-
ne actus puri elongatur. Quicquid igitur ita est perfe-
ctum, ut nihil perfectionis cujuscunque ipsi desit, illud
est actus purus, & cui vel unica perfectio deest, illud est
actus impurus, adeoque solus Deus erit actus purus, cum
ille solus perfectionem omnem superabundanter, possi-
deat, quin ipsa perfectio sit.

¶. 35.

Unde patet minus accurate loqui illos, quidicunt, a-
cum

619

Etum purum excludere omnem potentiam, nam hujusmodi actus purus esset chimæricus, & scipsum everteret. Esset Chimæricus, quia non esset dabilis, nam Deo nihil est perfectius, & tamen Deus omnem potentiam, videlicet activam non excludit. Se ipsum everteret, quia esset actus purus & non esset, esset, quia ita vocaretur, non esset, quia ipsi insignis aliqua perfectio simplex hoc pacto decesset. Quamvis enim materialiter potentia activa cum imperfectione sit conjuncta, propter conditionem subiecti, formaliter tamen est & manet perfectio simpliciter talis.

§. 36.

Adæquata igitur ratio actus impuri constitutiva est imperfectio, quam quæ habent, habent autem omnes creaturæ, actus impuri sunt vocanda. Singulas imperfectiones enumerare aut vix erit possibile, aut nimis arduum, sufficiat in genere aliquo nomine eas expressisse. Non ultimum locum inter eas potentiam passivam & objectivam tenere certius est, quam ut probatione egeat, cum sint cum actu impuro reciprocabiles, & recte colligo ex earum adessentiâ actum esse impurum, & rursum ubique actus impurus fuerit, ibi alteram earum ad minimum esse debere.

§. 37.

Sunt qui distingvunt inter actum purum simpliciter, & secundum quid, illum esse solum Deum, concedunt, ad hunc vero posse etiam referri spiritus completos, & illas creaturas, quæ, si casus dabilis, ab animo à Deo producerentur, suamque essentiam sine ulla successitate totam simul possiderent. Verum illi hinc movent de nomine. Nos haecenus de actu purissimo, & ut illi vocant, simpliciter puro locuti sumus, & cum esse di-

D 2

ximus

ximus actum sine omni imperfectione. Quod si illi dicere voluerint dari actus secundum quid puros dicant id per nos, puri tamen sine addito non venient vocandi, sed cum particulæ diminuentis additamento, abundant suo sensu, modo res maneat, neque ullam creaturarum ad actus purissimi in accessum fastigium temere evetendam esse præsumatur.

§. 38.

Deum esse actum purum negant omnes illi, qui ipsius summam simplicitatem callide labefactare non verentur. Simplicitas enim summa in Deo videatur esse fons, unde actus puri denominatio promanet. Hanc vero in dubium vocare Episcopii Arminiani audax subtilitas non dubitavit, quando volitiones divinas l. 4. inst. Theol. c. 20. non esse ipsam essentiam divinam, sed accidentia in Deo temerario & blasphemico ausu adieveravit, idque ex sequentibus evincere conatus est, quod (1.) volitiones Dei liberæ ab essentia ejus, quæ necessaria est, abesse possint. (2.) quod sint numero plures, (3.) quod sibi sint contrariæ. Huic pollicem premit singularis Vorstii impietas, qui eandem simplicitatem in Deo impugnat (1.) ex eo, quod in Deo sint multa accidentia, adeoque detur compositio ex subjecto & accidente (2.) quod cum reali distinctione in Deo, quæ inter tres personas intercedit, summa simplicitas non possit consistere.

§. 39.

Verum non possunt non oleum & operam perdere quotquot ipsam eam compositionis arguunt. Nam quod Episcopii figmentum attinet, quo probare intendit volitiones divinas esse accidentia in Deo (1.) ex eo quod sint liberæ, & ab essentiâ abesse possint. Resp. In volitionibus divinis tria potissimum esse attendenda (1.) ipsam

620

ipsam essentiam divinam per modum actus vitalis, qui dicitur volitio, conceptam, & terminatam ad objectum volibile primarium, quod est ipsa essentialis bonitas divina, & sic nec est libera, nec ab essentiâ divinâ abesse potest, (2.) ipsam terminationem volitionis divinæ ad objectum volibile secundarium, bonitatem creatam, & (3.) tandem relationem ex hac terminatione resultantem. Terminatio quidem ad bonitatem creatam est libera, sed hæc cum sit à parte termini in Deo non est Relatio illa posita terminatione necessario quidem resultat, cùtamen non posita posset non resultare. Probandum autem erat Episcopio volitionem, in quantum Deo intrinseca, esse liberam, & non esse tantum liberam respectu terminationis ad objectum extrinsecum Deo. Neque est quod hic à voluntate humanâ ad divinam voluntatem concludat, cum non ita in divina, uti in nostrâ volūtate, dentur volitiones productæ, quæ quoad realem existentiam in Deo essent liberæ.

§. 40.

Et hinc etiam ad secundum, quo dicitur volitiones divinas esse numero plures, in promptu est responsio, negatur enim eas esse, quatenus intrinsecæ sunt Deo, numero plures, sed una simplicissima essentia divina per modum actus volendi concepta per plures ad plura numero objecta secundaria terminationes datur plurificari quæ plurificatio etiam Deo est extrinseca. Ad tertium Episcopii fundamentum, seu potius figmentum, quo dicit volitiones esse contrarias. Resp. neutiquam esse contrarias in quantum Deo intrinsecæ, cum non sint actus realiter produciti, sed itidē ipsa simplicissima essentia Dei per modum actus concepta, quæ prout ad contraria objecta terminatur, datur contraria velle, & sic iterum omnis contrarictas in objectis extra Deum est collocanda

D 3

§. 4

Nec majoris ponderis sunt ineptiæ Vorſtianæ. Ad
 (1.) quando dicit in Deo accidentia, & proinde compo-
 ſitionem ex ſubjeſto & accidente. Resp. Compositionem
 eſſe duplēm Realem & rationis, hanc eſſe compoſſibi-
 lem cum ſumma ſimplicitate & admitti in diuinis, illam
 eſſe incompoſſibilem propter extrema componibilia
 realiter diſtincta, adeoque penitus excludendam. Ratio-
 niſ vero aliquam compositionem in Deo admittendam
 eſſe ex dupliſ potiſſimum capite fluit. Alterum eſt à par-
 te Dei, infinita ſc. eſſentiæ perfectio, cujus ea viſ ut quæ à
 creatureſ per perfectiones plures realiter diſtinctaſ effici-
 uuntur, ea omnia per unam indiſtinctam perfectionem
 präſter; Alterum à parte noſtrâ, eſtque imbecillitas,
 intellectus lumine gloriæ deſtituti. Hic enim cum uno a-
 ḡu totam latitudinem perfectionis diuinæ adæquatæ
 non valeat exhauste, pluribus inadæquatis id ipsum prä-
 stare conatur. Cum itaque intellectus unam eandemque
 rem ſimpliciſſime identificatam realiter diſtinctis actib⁹
 inadæquatis attingit, & ſic unum conceptum cum alio
 componit, qui tamen à parte rei una erant eademque res,
 efficit compositionem rationis. Ad id quod dicitur, in
 Deo eſſe accidentia, respondetur, vocem Accidentis in
 dupliſ, quoad präſens, ſignificatione poſſe intelligi (1.)
 pro aliquo accidente prädicamentali, & ſic absolute ne-
 gamus in Deo dari accidentia. (2.) pro omni eo quod
 non ingreditur ptimum alicujus rei conceptum, ſed ex-
 tra ipsum eſt. Et hoc modo putant aliqui admittenda eſſe
 accidentia in Deo. Sed ne modus loquendi alicui ſcrupu-
 lum faciat, potius dicendum illa accidentalia eſſe in
 conceptu noſtro de Deo, vel non eſſe de ratione formali
 eſſentiæ diuinæ. Noſter enim intellectus partitur cōcept⁹
 ſuos

621

suos inadæquatos de Dco, ut id quo prius in Deo non
reperitur, dicat hoc esse essentiam divinam sive conce-
ptum quidditativum divinum, reliqua quæ ex hoc con-
ceptu fluunt, esse extra formalem & quidditativum Dei
conceptum. Non igitur in Deo compositio realis ex sub-
iecto & accidente erit admittenda.

§. 24.

Ad alterum fundamentum Vorstii, quo ex reali di-
stinctione personarum simplicitatem impugnat. Resp.
negando consequentiam. Neque enim distinctio & com-
positio se mutuo inferunt. Compositio quidem neces-
sariò infert distinctionem, non contra, nisi sit realis di-
stinctio, at relationes non distingvuntur realiter ab
essentiâ, sed Ratione, quia inter essentiam & Rela-
tiones divinas non datur alia Relatio.

COROLLARIA.

I.

DEUS & Angeli possunt etiam dici **Actus** respe-
ctivè tales.

II.

Rectè dividitur **Actus** in **Actum purum** & **Impu-**
rum.

III.

Actus formalis est **Entitativus.**

IV.

Potentia actu operans potest dici **actus secundus.**

V.

Actus & **Potentia** non sunt semper in eodem **Præ-**
dicamento.

Exi-

Eximio atq; Literatisimo
DN. JACOBO ZADERO, SS.

Theol. & Philosophiæ Cultori perindustrio
Paternarum Virtutum Æmulo strenuo, Fautori & Auditori
suo dilecto

cum

Publicè ex Metaphysicis
De

A C T U,
disputaret
F E L I C I T E R
acclamat

Johannes Christophorus Hundeshagen,
Log. & Metaph. Prof. Publ. Ordin.

Sic Patriæ servire tua poteris, Genitori
Gaudia multa feres; faxit id alma TRIAS.

ברכה לצעשה:

Actu Te doctum Doctis, ZADERE, probabit
Actus qui docte sstitur in Cathedra!

M. JOH. FRID. NICOLAI,
Fac. Phil. Jenensis Adjunctus.

Naturam Docte, ZADERE! edisseris Actus,
Actu sic monstras Te studuisse probè.

Quam pulchrum & PATRIS CLARI vestigia natum
Legisse & Doctis sic documenta dare!

M. JOH. MICH. Schwimmer.

SVada, Minerva Sais, Charites, ter tresque Camoenae
Primitias laudant, DOCTE ZADERE, Tuas.
Hinc ego cum Nymphis foelix applaudo labori,
Ut pergis pergas, punctaque cuncta feres.

Johannes Poelicius, P.L.C.

F I N I S.

Coll. dis. A. 55, misc. 50